

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. V. De arteriis coronariis & carotidibus, earumque ramis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

tem *Dn. D. Læsecke* in infante vidit. Vid. eius *öbf. anat. chir. med. Berol. 1754.*

Obs. III. Corde situm suum naturalem obtinente, vena cava superior dextrum, aorta medium atque arteria pulmonalis sinistrum locum occupat; adeoque, ante pericardii remotio- nem, ortum ex ventriculo ipsi haud convenienter arteriæ hæc mentiuntur.

CAP. V.

De arteriis coronariis & carotidibus, earumque ramis.

§. I.

Circa ipsum aortæ initium, pone valvulas semilunares, duæ, rarius tres, rarissime quatuor, arteriæ coronariæ oriuntur, quarum una in superficiem cordis superiorem, altera in inferiorem innumerabiles ramulos multis anastomosibus inter se iunctos, cordis & auricularum nutritioni inservientes mittit. Tertia, si adest, in posteriori cordis facie distribuitur. Arteriæ hæc una cum venis coronariis, vasa cordis propria nominantur. Vid. *Ruyseb.* in *epist. anat. tab. III. fig. I.*

§. II.

Ex aortæ arcu carotidum, a *ναγα* caput dictarum, trunci iuxta se invicem, & quidem sinistra immediate, dextra ex subclavia

Arteria coronaria.

Carotides communes.

eiusdem lateris, rarius proprio trunco, ortum fumentes, inter tracheam venamque iugularem internam, ad laryngem ascendant, ibique in carotidem externam (superficalem, anteriorem) atque internam (posteriolem, cerebralem) dividuntur. Vid. *F. Ruysch. epist. probl. 3. p. 30. fig. I-III.* *A. de Haller icon. anat. fasc. 2. tab. 1.*

§. III.

*Carotis
externa.*

Carotis externa, tamquam trunci carotidis continuatio, cerebri maior esse solet, externisque capitis partibus ramos arteriosos potissimum distribuit. Thyreoidea superior, arteria linguæ, pharyngea, maxillaris interna, externa, occipitalis, auricularis posterior, transversalis faciei, meningea, temporalis & malæ superior, quæ proprie trunci finis est, in hunc censum veniunt. Vid. *A. de Haller icon. anat. fasc. 3. tab. II & III.*

§. IIII.

*Thyreoidea
superior.*

— Arteria thyreoidea superior, (laryngea Winslovii) prope ipsum carotidis externæ initium exorta, atque ad superiorem exterioremque glandulæ thyreoideæ superficiem flexuoso itinere descendens, in illa multis ramulis finitur, aliisque partibus adiacentibus nonnullos distribuit. Vid. *Dn. Jo. Jac. Huberi observationes aliquot de arcu aortæ ramis, de arteria thyroide quinta vel supernumeraria, atque de vicinis his quibusdam aliis arteriis, in act. Helvetic.*

phyfico - anatomico - medicis Vol. VIII.
MDCCLXXVII. p. 68.

§. V.

Sub arteria labri, interdum communi *Arteria*
cum illa principio, arteria linguæ oriens, *lingua.*
cornu ossis hyoidei vicinum transgrediens,
& musculis eius glandulisque vicinis ramu-
los distribuens, linguam adit, ibique in ra-
mum superficialem atque profundum (arte-
riam raninam) dividitur.

§. VI.

Ex posteriori carotidis externæ super- *Arteria*
ficie, e regione arteriæ linguæ, arteria *pharyngea.*
pharyngea, parva, egrediens, ad poste-
riorem pharyngis superficiem ascendit, illi,
musculis recto interno, longo colli, &
nervo octavo ramulos distribuit, atque per
cartilagineam, ossi petroso atque occipitali
interiectam, ad duram matrem pergit.

Obs. A carotide interna pharyngeam or-
tum fuisse, *Dn. de Haller* semel observavit.

§. VII.

Sex septemve circiter lineas a carotidis *Maxilla-*
anterioris exortu, e regione condyli ma- *ris inter-*
xillæ, arteria maxillaris interna mediæ ma- *na.*
gnitudinis ex illa provenit, & sese in ca-
nalem maxillæ osseum abscondens, denti-
bus ramulos arteriosos largitur, atque in
eorum folliculis retia neçtit, & circa pri-
mum dentem molarem in duos ramos findi-

tur, quorum alter ex foramine maxillæ anteriore in faciem egreditur, alter vero, sub incisorum radicibus, usque ad dicti ossis symphyfin pergit. Vid. *Just. Godofr. Günzii* commentatio de arteria maxillari interna, Lipf. MDCCXLIII.

§. VIII.

*Maxillaris
externa.*

Maxillaris externa, (arteria labri, facialis,) brevi super linguæ arteriam, ex carotide anteriore emergens, atque anteriora petens, arteriam menti demittit, & palatinum inferiorem introrsum ablegat, nec non arteriam malæ inferiorem sursum protrudit, ipsa vero, labra petens, musculus menti quadrato, triangulari, labrorum orbiculari & buccæ &c. ramulos dividens, ibi coronariam labri superioris atque inferioris efformat, pluresque ramos naso, nonnullos etiam oculo, largitur.

§. VIII.

*Arteria
occipitalis.*

Ex posteriore carotidis anterioris superficie, supra arteriam linguæ, arteria occipitalis, mediæ magnitudinis, emergens, venam iugularem transgreditur, atque inter transversum atlantis processum ac mastoideum ad occiput fertur stilo mastoideam, meningeam posteriorem, multosque alios ramulos auri externæ, musculus occipitalibus, & integumentis capitis prospicientes, atque cum temporalis, cervicalis atque vertebralis ramusculis anastomoses facientes, protrudit.

Obs. Occipitalem ex carotide interna ortam *Dn. de Haller* semel, rarissimo sane exemplo, vidit.

§. X.

Ex posteriori carotidis externæ superficie arteria auricularis posterior procedens, parva est, pone aurem ascendit, parotidem musculosque vicinos splenium, biventrem mastoideum &c. aurem & capitis integumenta ramulis arteriosis ditat, & cum temporalis atque occipitalis arteriæ ramulis anastomoses facit. Ab occipitali arteria interdum ortum ducit. Vid. *Eustach.* tab. XXII. *Vesalius* l. 3. p. 489. tab. art. o.

§. XI.

Arteria transversalis faciei, vel arteria buccæ, antè ex carotide superficiali surgens & parotidem transgrediens, ad oris angulum, factis ibi nonnullis curvaturis, descendit, atque in itinere musculus v. c. orbiculari oculi, buccinatori, zygomatico, & levatoribus oris &c. ramulos largitur.

§. XII.

Ex anteriori superiorique carotidis externa, arcum antè formantis, superficie, prope temporalem profundam, arteria meningea satis ampla exsurgens, & per proprium ossis sphenoidi foramen in cranium ascendens, copiosissimis duram matrem ramulis arteriosis donat, qui partim anteriora, partim posteriora partimque

superiora petentes, anastomofin cum alterius lateris arteriolis admittunt, atque in ipso cranio, dum adhuc molle est, fossas describit, & venam meningeam perpetuum comitem habet. Vid. *A. de Haller* icon. anat. fasc. 2. tab. I.

§. XIII.

*Arteria
temporalis.*

In proxima meningæ vicinia, ex dicto carotidis externæ arcu arteria temporalis ortum ducit, & dimissa prius temporali profunda, palpebris atque glandulæ lacrymali &c. ramulos dante, ante aurem ascendit, ibique auriculares anteriores emittit, ac postea in temporalem posteriorem atque anteriorem dispescitur. Hæc crotaphitidem transcendens, & summa capitis petens, ramulos antrorsum, fursum ac retrorsum, cum temporalis anterioris atque occipitalis ramusculis anastomoses nectentes dispertit. Illa muscolum tempora continentem obliquo itinere transgrediens, arteriam frontalem, plures ramulos cum ophthalmicis ramis connexionem habentes emittentem, producit.

§. XIII.

*Arteria
malæ.*

Arteria malæ finis trunci carotidis externæ est, introrsum pone malam se recondit, dein, mutata directione, ad iugum fere ascendit, & porro antrorsum ad alam externam & malæ oram fertur, atque inde miris flexionibus in fissura spheno-malari ad posteriorem fissuræ orbitariæ inferioris

partem repit. Ex illa arteriæ palatina superior, per canalem pterygo-palatinum descendens, ramos superficialem, profundum atque ascendentem protrudens, & ronfillas, velum palatinum ipsamque uvulam adiens, nec non nasalis descendens, alveolaris, atque infraorbitalis proveniunt, ex quibus alveolaris dentalem malæ gignit.

§. XV.

Carotis interna, cerebrialis, pone exte-
nam, inter musculum rectum capitis ma-
iorem ac nervos, quibuscum interventu
telæ cellulosæ cohæret, ad canalem apo-
physeos petrosæ ascendit, illumque flexa
ingreditur, atque dein, receptaculo duræ
meningis inclusa, ad processum clinoidem
anteriorem pergit, & perrupta interiori
dictæ meningis lamina, protrusis arteria
ophthalmica aliisque ad glandulam pituita-
riam, infundibulum & plexum choroideum
ramulis, cum socia sua atque arteria basis
cranii, ex vertebralibus facta, arteriam
communicantem, vel circulum arteriosum
Willisii, modo ampliorem, modo angustio-
rem, producit, & postea in ramum ante-
riorem, minorem, & posteriorem, maio-
rem, dividitur. Ab ipso circulo arterioso
ramus in utroque latere ad plexum choro-
ideum abit. *Frid. Ruysch. epist. anat. XII.
tab. XIII.*

§. XVI.

Ex carotide interna, ad processum cli-
noideum anteriorem, arteria ophthalmica
Arteria ophthalmica.

enata, nervum opticum, per foramen proprium in orbitam penetrantem, comitatur & arteriolas lacrymalem centalem retinae ciliares muscularem, palpebrales superiorem & inferiorem, ethmoideam, & supra-orbitalem producit, ac denique in nasalem & frontalem dividitur. *Lacrymali* glandulae ramulis prospicit, & tarfeas exteriores, superiorem atque inferiorem, dat. *Centralis* per axin nervi decurrens, numerosis ramulis retinam exornat, quorum nonnulli lentem versus excurrunt. *Supraorbitalis* per foramen eiusdem nominis in frontem prodit, & musculis pathetico, rectis interno & superiori, levatori palpebrae, scleroticae atque orbitae periosteo ramulos mittit. *Ciliares* tres pluresve pluribus ramulis scleroticam perforant, &, choroideae incumbentes, in uveae principio circulum describunt, ex quo vascula minima radiorum instar ad pupillam pergunt, ibique alterum circulum describunt. *Muscularis* in interno recto antrorsum it, recto & obliquo inferioribus ramulos largitur, & cum infraorbitalis ramo arcum efformat. *Palpebrarium*, separato aut coniuncto trunculo orientium, *superior*, ramulis orbiculari & carunculae lacrymali concessis, superioris palpebrae oram legit; *inferior*, ramusculis, commissurae palpebrarum, carunculae & sacco lacrymali missis, in muscolum orbicularem se demergit. *Ethmoidea* una alterave, foramen orbitarium transiens, cellulis ossis ethmoideis ramulos dat, & trunculo suo cranium in-

trans per falcem dispergitur. Arteria nasalis grandiuscula est, prope saccum lacrymalem emergit, nasoque ramos externos atque internos mittit. Frontalis, nasali minor, tres ramos notabiliores, superciliarem, subcutaneum atque profundum emittit, qui cum arteriarum vicinarum ramulis plures anastomoses faciunt. Vid. *A. de Haller* icon. anat. fasc. I. tab. VI. & fasc. VII. tab. VI.

Schol. Infraorbitalis, a mala arteria veniens, non satis commode a nonnullis ophthalmica dicitur, cum non tam interna oculi, quam adipem illi circumpositam, musculum obliquum inferiorem, atque tunicam scleroticam ramuli eius adeant. Alios quoque ramos accessorios a labrorum arteria, transversali faciei, atque temporali oculus habet.

§. XVII.

Anterior carotidis internæ ramus, corporis callosi arteria, datis lobo cerebri anteriori, nervisque optico atque olfactorio, antrorsum atque extrorsum euntibus multis ramulis, anteriorem dicti corporis partem petens, ramos porro insignes lobis anterioribus, fornicis cruribus & cerebri commissuræ distribuit. Denique ipse truncus ad corpus callosum retrorsum flexus, ad piam matrem superiorem cerebri superficiem, corporis callosi finem, & lobum posteriorem, ablegat. Ramuli huius arteriæ tam cum carotidis alterius lateris, quam vertebraliū, ramusculis innumerabiles ana-

Ramus carotidis anterior.

Anterior.

stomoses faciunt. *A. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. II.

§. XVIII.

Ramus posterior.

Posterior carotidis internæ ramus, extrorsum vergens, plexui choroideo ramum, multosque mediæ cerebri superficie largiens, profundum cerebri fulcum (fossam Sylvii) intrat, atque ad piam matrem & utrosque cerebri lobos, innumerabiles ramulos mittit, qui cum alterius lateris, & vertebraliū ramusculis copiosissimas anastomoses nectunt. Omnes autem piæ matris arteriolæ ramosissimæ deorsum tendunt, & corticalem cerebri substantiam constituunt, quin nonnullæ encephali arteriolæ minimæ in medullarem cerebri substantiam penetrant, atque in ea lamellatim dissecta sub punctorum rubrorum forma comparent.

CAP. VI.

De arteria vertebrarum colli
eiusque ramis.

§. I.

Arteria vertebrarum colli.

Arteria vertebralis a subclavia posterius (sinistra haud raro ex aortæ trunco, inter carotidem & subclaviam,) oriens, atque per transversalia vertebrarum colli foramina ascendens datis in itinere musculis vicinis & medullæ spinalis involucro ramulis, alioque, supra atlantem, duram ce-